





170

1
2
3
4



1670.

1. Forcart, Petrus : Disputatio inang. juridica, continens
analysis 12 l. de res. ven.

2. Heert, Henricus : De fructibus.

3. Schenck, Johann David : De moratoria.

4. Schmittler, Johannes Theor : De appellacionibus.

1671.

1. Meier, Hermannus : De uxore virgine. 2 Sacell.

2. Pflaum, Johann Kaspar : De optione

1672.

1. Fescher, Sebastianus : De insignibus eorumque jure

^{32. 34}
2. Persant, Nicodemus : De antipetargia. Per kind.
Lieber Vorflegung Anmer: Vorletzte 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

1673.

1. Bobert, Anton : De melioramentis

2. Meyer, Albertus : Disputatio Inauguralis de
foris septentrionalium consideracione et 2. 42 ff de
Religionis et scripturas faneorum exhibitio

1675

1. Meyerus, Nicolaus : De statuis et colossis Polandicis
Viz seu Roland - Suidor

2. Ostermayer, Petrus : De emphyteusi

1676.

1. Erhard, Johann Georgius : De mora.

1681.

1. Pauli, Michael : De calido immito seu spiritu cor-
poris vitali

2. Deeprecht, Joh. Thomas : De eo quod iustum est ut
ca. invocationem alienationis in pante creatorum

factae

1682.

Köne, Wernerus : De caessione ultra dimissionem

1683.

Burckhardus, Juc : De exemplis imperii


100

11

12

13





12539.

1670, 4

4

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

de

APPELLATIONIBUS,

Quam

Sub auspicio SUMMI PRÆSIDIS:

Authoritate & Consensu

*Magnifici Nobilissimi & Amplissimi Fctorum
Ordinis, in perantiqua Rauracorum
Academia,*

Pro summis in utroque jure privilegiis &
honoribus Doctoralibus ritè legitimeque
consequendis:

Publicè ventilandam exhibet

JOHANNES THER SCHMITTEN,
Bremensis.

Ad diem 19. Decembris M. DC. LXX.

Horis locoque consuetis.



BASILEÆ,
Typis JACOBI BERTSCHL.

DISPUTATIO JURIDICA
IN ALIQUA RE

APPELLATIONIBUS

Sub auspicio Summi Praesidis

Auctoritate de Consensu N

Illustriſſimae & Ampliſſimae Facultatis

Ordinis in perenniſſima Rauravica

Academia

Joannis in negotiis privilegii &

honoris Doctoratus in legibus

conspiciendis

Publice celebranda exhibet

JOHANNES THEO SCHMITTEN

Bremensis

Ad diem 10 Decembris M. DC. LXX

Hortis Josephus confectus

BASILEAE

Jacobus Beringer





Ertractaturi illam, non minus famosam quam arduam, appellationum Materiam, necessum erit, antequam eandem suis exploremus momentis, quædam ad majorem notitiam in antecessum præmittere. Et quidem in ejus Originem paulò penitiùs inquirere libet;

THES. I.

Quam antiquissimam vetustissimamque esse ex Tit. Liv. *lib. 1.* Plutarcho & Val. Max. satis apparet. Idem alii vetustiores Authores demonstrant, eam nempe cum ipsa natura natam, utpote quæ est species defensionis, & quidem cum ratione, quæ nemini denegari debet, text. est in *l. 3. de J. & J. l. 1. §. 27. de Vi & Vi arm. l. 45. §. 4. ff. ad l. Aquil.* imò exemplum in Jure Divino extat in Actis Apost. *Cap. 25. v. 10.* ubi D. Apostolus à Porcio Testo ad Tribunal Cæsaris provocavit.

II.

Hinc Statutis tolli non potest, quia hæc Statuta de-

fensionem, jure naturæ unicuique concessam, auferrent, & contra jus Superioris facerent. Inde nec Principes talia statuta facere possunt, quia vergerent in præjudicium Imperatoris.

III.

Vocabulum appellationis multifarias admittit significationes. 1. sumitur pro nomine, ut in *l. 3. §. 2. ff. de administr. Tutorum*, 2. pro familiari cum alio colloquio. Ovid. *l. 1. Trist. Jamq; potens misso genitorum appellat amico*. 3. pro judiciali conventionem; *l. 29. ff. de jud.* 4. appellari dicitur debitor, cum de debito interpellatur. *l. 16. ff. de fidei. & mandat.* 5. appellare dicitur is, qui alterius pudicitiam attentat in *l. 15. §. 20. ff. de injur.* aliisque multis sumitur modis, ut videre licet ex Petri Osterm. *disp. 36. Th. 1. tom. 2.*

IV.

Quanquam omnis definitio in jure est periculosa, parumque sit quò minus subvertatur; tamen scientes quòd cum aliqua de re disceptatio suscipitur, ea à definitione debeat proficisci, ut intelligatur id, de quo disputatio suscipitur. Nos missis superioribus significationibus appellationem dicimus, ab inferiore judice ad superiorem gradatim factam provocationem, ut is causam antea quidem cognitam, sed ut appellans intendit injustè definitam, denuo cognoscat, & sententiam antea latam in melius reformet.

V.

Dico Appellationem esse ab Inferiore ad Superiorem, ad excludendam appellationem à pari ad parem ratio est in *Nov. 23. cap. 4.* ubi dicitur. Viri spectabiles duces vel alij spectabiles judices, non ad alios eadem spectabilitate decoratos judices suas transmittant appellationes in litibus, quantæcunque sint quantitatis,
cùm

cum non oporteat ad compares iudices appellationes referri, sed è minori iudicio in majus tribunal ascendere, par enim in parem non habet iudicium *l. 13. §. 4. ad Actum Trebell.* ubi exceptionem videre licet, ut & in *l. 14. ff. de iurisd.* 2. Quia superior debet corrigere ea quæ fecit inferior & non è converso. Joh. Ferr. *in tract. de appell. l. 2. cap. 5. n. 13. Tom. 5. fol. 69.* dicens. Ipsa ratio suadet ad majorem iudicem appellandum esse, quia ut prior sententia emendetur, hoc subsidium quærimus, quod majoris auctoritatis est opus. Hinc appellatio à majore iudice ad minorem facta non valet sed vitatur. Azo in *rubr. n. 19. ibi, quid autem si per errorem. d. Appellat.* Hinc ne consuetudine quidem induci potest ut à majore ad minorem appelletur, quia hæc consuetudo non valet, nulla enim consuetudo potest tollere substantialia, & salvare actum, sed de substantia appellationis est ut appelletur à minore ad majorem. Dicitur de substantia, quia minor non potest contra majorem, appellatio ergo ad minorem serviret de vento ut confid. J. Ferrar. *tract. de appellat. cap. 5. n. 138. Tom. 5. fol. 69.* Hinc sequitur à delegato ad delegantem rectè appellari ut ad eum, qui dedit iudicem, non ad superiorem, *l. 1. in pr. l. 2. à quo appell. Ros. 6. Tit. 73. n. 15.*

VI.

Dico gradatim facta provocatio, quia omissio medio iudice ad superiorem de jure Civili appellare non licet. *l. 21. ff. de appell.* rationem reddunt, ne iurisdictiones confundantur, *lib. 4. de iurisd. omnium iudic.* si tamen iudex intermedius justitiam deneget, aut aliis ex justis causis sit suspectus, aut causam suam sponte ad superiorem remittat, aut inhabilis sit ad decidendum, omissio hoc medio ad superiores causa devenit. *vid. Gail. & ab eo alleg. I. obser. 119. num. 2.*

A 3

VII. Ut

VII.

Ut is causam antea quidem cognitam, sed, ut appellans intendit, injustè definitam cognoscat hic est finis appellationis, ut nempe superior iudex de vel verè vel putativè injustè lata sententia cognoscat, eamque in melius reformet.

VIII.

Explicatâ definitione sequitur Divisio, in qua variè variant Authores, Quidam enim quatuor constituunt appellationis species, In se judicialem, quæ fit ante litis constitutionem; Intrajudicialem, quæ fit ante sententiam, sed post litem contestatam; Judicialem, quæ à sententia definitiva; Postjudicialem, quæ post rem iudicatam in executione fit. Alii tres constituunt species, unam à definitiva, alteram ab interlocutoria, tertiam ab actibus extrajudicialibus. Nos duas tantùm collocamus, dicentes aliam esse judicialem, aliam extrajudicialem.

IX.

Appellatio judicialis est, quæ in iudicio à minori iudice ad majorem interponitur. Extrajudicialis est, quæ extra iudicium ad superiorem, à præsentem vel ab instanti & futuro gravamine suscipitur; illa à sententia, hæc ab actibus extrajudicialibus interponitur, *l. i. §. solent. ff. quand. appell. c. bonæ memoriæ 51. ext. ht. Marant. h. t. 278.*

X.

Judicialis rursus est duplex vel à sententia definitiva vel ab interlocutoria. Appellatur à sententia definitiva, illicò in continenti, apud acta iudice adhuc pro tribunali aut loco iudicii sedente, neque ad diversos actus divertente per unicum tantùm verbum, videlicet; *appello, provoco; subjicio me protectioni & tuitioni alterius, refero me ad*

me ad superiorem sive competentem, & similibus loquendi formulis. Colleg. Argent. ht. n. 12. l. 2. l. 5. §. fin. ff. 31. Mynsing. cent. 1. obser. 8. Si non statim, sed ab intervallo à sententia definitiva appelletur, tam multæ requirantur circumstantiæ, quas videre licet in alleg. Colleg. Argent. d. n. Appellatio à sententia interlocutoria est, cùm in instrumento facta est specialis expressio & adjunctio rationabilis & probabilis causæ vel causarum, ob quas appellatur, etsi causa sit notoria, quanquam enim notorium relevet ab onere probandi, non tamen allegandi & proponendi Gail. l. 2. 31. n. 18. ratio est, quia forma illa necessariò & substantialiter in jure requiritur c. cordi h. in 6. Pet. Osterm. disp. 36. th. 25. differentias inter appellationem à definitiva & interlocutoria vid. apud eund. Osterm. alleg. l.

XI.

Quanquam appellationis Origo juri naturæ sit ascribenda, tamen eandem legitimum juris esse remedium firmiter statuimus. Legitimum enim hic non opponitur juri naturæ aut gentium, sed illi quod non justum sed injustum & illegitimum dicitur, primâ facie obstare nobis videntur l. 1. 55. ff. de re judic. l. 1. in pr. ht. l. 11. de J. & J. sed si textum paulò penitiùs introspeciemus, nihil easdem ad rem facere inveniemus.

XII.

Cùm Natura unicuique liberam sese defendendi potestatem concesserit, sequitur omnibus hominibus, quicumque condemnati vel gravati iniquitate vel imperitiâ judicum vel etiam sese gravatos existimant, concessam appellandi potestatem l. 1. ff. h. t. l. 30. C. eod. l. 25. h. t. l. 20. C. h. t. l. 3. eod. hinc est quòd commune damnatorum auxilium appellatur l. 3. §. fin. ff. rem rat. humanitatis enim

enim intuitu omnem provocantem audiri debere inquit *l. 6. h. t.* ideò nihil refert, an causa sit civilis an criminalis, alleg. *l. 6.* nisi enim ad hoc etiam per naturam ostensum præsidium tanquam ad asylum aliquod gravaris confugere concessum & liberum esset, oporteret plerosque id, quod suum est, alii & quidem indigno occupandum relinquere, & sic famæ & existimationis periculum subire, Gilhäuf. in *arbor. judic. civil. part. 3. cap. 8. princip.* Hinc Bald. in *l. un. in fin. Cod. si de momen. possess.* Appellationem Theriacam vocat contra judicis venenum. Amplius nostra sententia confirmatur per constit. Imp. in *Ordinat. Camer. part. 2. tit. 28.* ubi hæc reperiuntur verba: Vnd weilen bißhero etliche Ständ ihre Vnderthanen mit Eyden vnd Pflichten dazu gezwungen / von ihren Vrtheilen nicht zu appellieren / dieselbe als meynedige zu straffen vnderstanden / welches dann nicht allein dem Rechten zuwider / sondern auch Käyserlichem Kammergericht vnd desselben jurisdiction zum höchsten abbrüchig: so wollen / setzen vnd ordnen wir / daß hinfüro keiner bezwungen werden soll / sich des appellirens zu enthalten / oder von gethaner appellation abzustehen / vnd so solches geschehen / daß alsdann solche Verpflichtung an ihr selbst anbündig seyn / vnd daß die Parteyen / so sich beschwert befinden zu appelliren / vnd ihre appellation zu prosequiren / nichts desto weniger ohne Verletzung ihrer Ehren Zug vnd Macht haben sollen. Es wäre dann daß einer sich vorhin freywillig vnd ungedrungen der appellation begeben / oder aber daß er vermög eines rechtmässigen Privilegii seiner Obrigkeit oder Richters / auch sonst von rechtswegen nicht appelliren könnte oder möchte / in welchem fahl dann jederzeit durch das Käyserliche Kammergericht erkant vnd geschehen soll / was sich vermög der Recht vnd diser Reichs Ordnung zu thun gebühret. XIII. Non

XIII.

Non hîc excludendus est criminis læsæ Majestatis Reus, l. 86. §. 1. Gl. in *verb. suspensa. ff. de acq. Hæred.* tum quia nullibi prohibetur, & in dubiis benigniorem sententiam amplecti decet, l. 41. & 42. ff. d. *pæn.* tum quia in objecto læsæ Majestatis crimine à Paulo Act. 25. appellatum esse legimus. Denique quia lege Valeriâ tertio latâ etiam Majestatis damnatis jus provocationis concessum esse testatur Alex. ab Alex. 4. *Genial. dier.* 6. pag. 189. Gyg. de *Crim. læs. Majest.* Gomez. *resol.* 13. n. 31. Rol. à Valle *vol.* 3. *consil.* 73. Henr. Bocer. de *Crim. læs. Majest.* cap. 4. Christoph. Besold. d. *appellationibus.* cap. 7. n. 26. nec Bannitus hîc erit excludendus, multi tamen hîc distinguunt inter Bannitum Imperii & ab inferiore, prior appellare non potest propter defectum superioris judicis, l. 1. §. 1. à *quib. appell.* hic autem appellare potest. Vid. Gail. 1. de *pace public.* cap. 6. n. 10. & *seqq.* Coler. *decis. Germ.* 108. n. 55. & *seqq.* nos distinguimus inter bannitum ex contumacia & ex delicto: prior appellare non potest, ratio est, quia potuisset ante diem præstitum in Judicio respondere, se defendere, & ita edicti denuntiationem rumpere, l. 23. §. *ult. ff. h. t.* quis autem è contumacia damnatus sit, de hoc vid. Mynsing. 3. *obs.* 86. nempe qui post iteratam citationem non comparuit, & ideò damnatus est, Gail. 1. *Obs.* 12. n. 7. Excommunicato verò appellatio non conceditur quoad effectum suspensivum, quia sententia excommunicationis secum trahit executionem, cap. *pastoralis.* 53. *ext. de appell.* secus quoad effectum devolutivum, cap. *dilecti.* 52. *ext. h. t.* Vid. Robert. Marant. *h. t.* n. 35. & prolixissimè hanc materiam tractantem Sigism. Schacciam *Tract. de Appell. quest.* 17, *limit.* 22.

B

XIV. Ni-

XIV.

Nihil refert, utrùm unus sive plures appellent, quia unius interposita appellatio aliis etiam eadem sententia gravatis prodest, *l. 1. & 2. Cod. si unus ex pluribus*. Assertio autem hac distinctione indiget, aut enim separatim sunt condemnati & pluribus appellationibus opus est, *l. 10. in pr. ff. h. t.* Aut conjunctim, & tunc rursus est distinguendum, vel sunt eadem defensionis adminicula, & proderit reliquis, *d. l. 10. §. fin. Jul. Paul. 5. sent. 33.* Aut diversa & secus erit *d. §. ult. caterum. Gail. 1. obs. 126. n. 3.* Separatorum enim separata ratio est. Extendi hæc nostra sententia etiam ad causas criminales potest, quia exceptio in his nullibi reperitur, tum propter majoritatem rationis, quòd causæ criminales præ aliis sunt in jure privilegiatæ. Exemplum extat in *l. 6. ff. h. t. l. 26. C. h. t.* in his enim non agitur de stillicidiis aut alia re levi, sed de vita & æstimatione hominum disceptatur, *d. l. 29. h. t. Jul. Clar. §. fin. q. 95. n. 4.* & ut Catullus inquit, soles occidere & redire solent, nobis cùm semel occidit brevis lux, nox est perpetuò una dormienda. Cunctator ergo esse debet, qui de alterius vita & salute judicat juxta Cassiodorum, nec ulla unquam de vita hominis cunctatio longa, Juven. *Satyr. 6.* cùm res gravissima sit hominem vitâ privare, fit etiam plerumque, ut hujusmodi præcipitantiam serus post sequatur poenitiæ dolor. Hinc non, ut alii Septentrionales populi, agendum, qui pridie reum suspendere, postridie justè an injustè fecerint disquirere solebant; aliter & rectiùs fecit M. Ant. Philos. qui causas capitales honestorum hominum ipse cognovit & quidem summâ æquitate, ita ut prætorem reprehenderet, qui citò reorum causas audierat. Jul. Capit. in *ejus vita*. Quatenus non sufficiant suspiciones, vide *l. 5. d. pæn.*

XV. Et

XV.

Et non tantum proprio, sed & alieno nomine appellare licitum, *Nov. 23. cap. 1. l. 2. §. 1. contrarium. ff. quando appell.* Sic 1. omnis ille, cuius interest everti sententiam, recte appellat, *l. 4. §. 2. h. t. l. 5. h. t. l. 1. de appell. recip.* Gregor. *l. 5. cap. 1.* 2. Appellare debent & possunt nomine pupillorum tutores, *l. 24. l. ult. §. 2. h. t. l. 1. §. 13. quand. appell.* 3. Curatores nomine minorum, *cit. l. 1. §. 13. d. t. l. 17. ff. d. appell.* modo bonam habeant causam, *l. 11. C. d. administ. tut.* Itidem actor a curatore datus, si victus appellationis auxilium habet, quanquam curator solus, non actor appellationem persequi debeat, *l. 10. C. h. t.* 4. Procurator nomine Domini, ratio est, quia lite contestata dominus litis efficitur secundum *l. 4. §. ult. h. t.* Hic tamen est distinguendum, aut enim procurator constitutus est ad omnes causas cum clausula *cum libera* & tunc appellare eum posse indubitati juris est, aut datus est ad actum singulare, & appellare minime ei permittitur, *l. 5. in pr. ff. mandat.* Sed quaeritur, Si Procurator ad agendum datus sit, an ille appellare possit: Et resp. Doctores communiter subdistingunt. Aut enim de iustitia sententiae adversus se latae certus est, & non appellabit arg. *l. 9. §. 6. ff. d. administ. Tut. & Curat.* sensus legis est, tutor in iudicio interrogatus id, quod rei contineat veritas, respondere cogitur, licet id noceat pupillo, praefere enim pupillo veritatem debet. Idem exemplo tutoris in procuratore statuendum credimus. Aut gnarus est de injuria iudicis, aut minime dubitat, quo utroque casu aut appellabit, vel si justa causa eum excuset, qualis est inopia, metus & similes, tunc denunciabit domino, ut ipse quid in rem suam futurum sit, dispiciat. 5. Dominus pro subditis. Hic tamen quaedam considerata veniunt, aut enim Dominus agit cum mandato

B 2

aut

aut sine mandato: cum mandato in quacunque causa agere potest, sine mandato, distinguendum, aut enim agit Dominus pro subditis ob causam, quæ principaliter ipsorum utilitati & commodo inservit, ita ut jus ex actione instituta vel suscepta defensione ipsis solummodo quærat, & tunc sine mandato appellare non potest: *c. auctoritate. §. inhibemus. de privilegiis in sexto*, ut si injuriâ subditi fuerunt affecti, dominus agere non potest, nisi intuitu ipsius facta fuerit, alias enim sibi imputare debent subditi, quòd injuriam non vindicaverint, aut subditi aliquid contingit, quod in præjudicium Domini vergit, putà si alius subditi collectas imponere & eos sub jurisdictionem trahere nitatur, vel simile quid machinetur, quòd Dominum contingat, tunc sine mandato Dominus agere potest, arg. §. 3. *Inst. de Injur. l. Lucius. 18. ff. h. t. l. 15. §. 35. §. 45. 49. ff. de injur. Gail. 1. Obs. 125. n. 3. 6.* Pro eo, qui ad supplicium ducitur, non modò consanguinea persona *l. 2. §. 3. ff. quand. appell.* sed humanitatis ratione receptum est, ut & cuilibet extraneo provocatio permittatur, ac supplicium reo etiam resistente & perire festinante differatur, *l. 6. ff. h. t. l. 6. §. 3. C. h. t. l. 29. eod.* Reipublicæ enim interest, ut cives conserventur, *l. 7. §. 3. d. bon. damnat.* nec ullus est membrorum suorum dominus, *l. 13. ad L. Aquil.* cum enim in controversiis civilibus illatum gravamen reparare datur, quæ sæpius pro re leviori habentur, quare ergo ei, de cujus vita agitur, hoc beneficium adimeretur in periculo tanto, quod post sumptum supplicium reparari minimè potest? *l. ult. C. d. agent. in reb. lib. 12. 7.* Eadem potestas marito est concessa, ut pro uxore absque ejus mandato in omnibus ejus bonis, tam dotalitiis, quam paraphernalibus, imò in receptitiis, modò in his cautio de rato interveniat, Appellationem suscipere possit, *l. 5. C. d. Pro-*

d. Procur. Sigismund. Scaccia in *tr. d. appell. quest. 5. n. 65.*
Quod attinet bona dotalitia, dubium non est, quin ma-
ritus non solum absque mandato, sed & sine cautione
de rato agere possit, quia super proprio jure agit, cum sit
Dominus rerum dotalium, ita ut earum nomine sibi,
non uxori rei vindicatio competat, *l. doce ancillam. C. d.*
rei vind. similiter quoad paraphernalia bona maritum
sine cautione de rato esse posse, uxoris procuratorem
evincit satis dilucidè *l. ult. C. de pact. convent.* Quoad
bona receptitia maritus quidem sine mandato agere po-
test, cum cautione tamen de rato: in aliis casibus sine
mandato & cautione admitti debet. *l. 2. C. d. procur.* Gail.
1. Obs. 133. n. 7. Non tamen è contrario uxori pro marito
appellare est permissum, *l. 4. Cod. d. procur.* Defendi
enim uxores à maritis, non viros ab uxoribus æquum
est, §. 2. *Inst. de injur.* Facit *l. 2. de R. J.* excipitur tamen,
nisi sit pro marito captivo relaxando, tunc enim non
tantum uxor, sed & reliquæ mulieres, quæ de cognatio-
ne sunt, habent agendi appellandi que potestatem, *l. 3.*
§. 2. ff. d. liber. caus. 8. Fidejussori pro eo, pro quo in-
tervenit, *l. 5. in pr. ff. h. t.* fidejussoris enim interest, quia
si debitor solvendo non est, ipse conveniri potest. *l. 4. ff.*
d. fidejuss. melius autem est non solvere, quam solum
repetere, *l. 15. ff. eod. tit. d. fidej.* plurimi que alii, quorum
catalogum recenset Justus Meyerus in Collegio Argen-
toratensi *tit. de Appellat. n. 9. pag. 743.*

XVI.

Ut tamen supra enumerati pro aliis appellantes au-
diantur, requiritur 1. ut nuncupatim causam gravami-
nis exprimant, *l. 5. pr. ff. h. t.* Covar. *pract. quest. 15. c. 17.*
id que procedit, etiamsi à definitiva contra alium lata
appelletur, tamen si aliàs in appellatione à definitiva
causæ expressio non requiratur, *l. 2. ff. d. Appell.* ratio est,

B 3 quia

quia ubi appellatio interponitur contra regulas juris, propter præsumptionem doli non aliter admittenda est, quàm si expressa causa justificetur, sed appellatio tertii fit contra regulas juris, quia regulariter non licet appellare à sententia inter alios lata : ergò admitti non debet, nisi expressâ causâ, Gail. 1. *Obs.* 22. n. 5. ubi plures allegat. 1. Ut igitur iudex, qui regulam habet prohibentem, ex sua parte dignoscere possit, utrùm debeat deferre huic appellationi, non tacenda est causa, propter quam appellatio justificetur. Felin. in *c.* 15. n. 20. *prop. fin. d. Re judic.* 2. requiritur ut causam semiplenè probent, ubicunque enim lex dicit, aliquid faciendum ex causa, semper causa illa est probanda, Bart. ad *l. item si suspectus. ff. de procurat.*

XVII.

Regulariter bis in una eademque causa appellare permissum est, *l. unic. C. ne liceat. in una ead. caus.* Nov. 82. *cap. 5.* Frid. Schenck. L. B. à Tautenberg in *progymnasim. fori lib. 2. tit. 15. num. 23.* tertio verò in una eademque super iisdem capitulis appellare non licet, tum quia leges non præsumunt aliquem toties gravari in una eademque causa, tum ne lites ex litibus nascantur, & sic penè immortales fiant, contra *l. 13. in prin. C. de Judic.* In *Novell. 123. cap. 21.* habetur exceptio, quæ non destruit, sed potius regulam confirmat.

XVIII.

Ab hoc tamen appellandi beneficio quædam personæ excluduntur, quales 1. sunt illi, qui pacto mediante appellationi renunciarunt, legum enim austeritatem in hoc casu Imperator voluit pacto litigantiũ mitigari, *l. ult. §. ult. C. de tempor. & reparat. l. 4. §. 1. qui procuravit. ff. de pact. Ord. Camer. par. 2. tit. 28. §. Und dieweil. & es wære dann.* Petr. Gregor. Tholos. *lib. 5. de appell. c. 3.* Conrad.

Rit-

Rittersh. in *expos. Nov. par. 10. c. 7. n. 33.* quod enim lex mihi meâ causâ dat, eo mihi etiam non uti licebit, Cic. 3. in *Verr. 2.* Illi, qui sine pacto in Judicio promiserunt se à Judice non appellaturos, *l. 1. §. 3. si quis. ff. à quibus appell.* modò non fiat formidine tormentorum aut alio justo metu, *l. 2. C. quorum appell. arg. l. 1. ff. quod metus caus.* 3. Prohibentur illi, qui ex mera & pura contumacia convicti atque damnati sunt, cùm in ejus potestate fuerit ante diem præstitum pro tribunali respondere, sese defendere & edicti denunciationem rumpere, *l. 13. §. ult. ff. h. t. l. 73. §. fin. ff. de judic. l. 13. §. 4. 6. de jud. l. 1. l. 4. C. Quor. appell.* quod intelligendum de eo, qui contumax est in non veniendo propter contemptam judicis jurisdictionem, *l. ult. §. 1. ff. h. t. Marant. h. t. n. 284. & seq. Tholos. l. 5. de Appellat. c. 4. n. 5. Emericus à Rosb. in process. judic. tit. 30. n. 34. Thesaur. decis. 265. n. 3. & seqq. 4.* Appellandi licentia prohibetur raptoribus virginum aut mulierum, aut etiam sanctimonialium, *l. 1. C. de rapt. virg.* argumentis convictis, testibus superatis voce etiam propriâ spontè, liberè, nullo tormentorum metu, scelus vitiumque confessis teste Ovidio,

Non est confessi causa tuenda rei.

Latronibus insignibus, ducibus factionum, seditio-
norum concitatoribus, & his, quos damnatos punire præveni-
endi periculi causa *l. si quis. 6. §. 9. ff. de injust. rupt. Decis. 1. præct. cùm. 7. cap. 47. n. 8.* reipublicæ interest: *l. 16. ff. h. t.* quod de generali totius Germaniæ consuetudine ad omnes alios criminum reos extenditur, Wesenb. *parat. d. appell. recip. n. 3. Covarr. n. 23. n. 6.* concludit usum forensem apud Hispanos & in toto ferè orbe Christiano hætenus obtinuisse, ut in criminalibus, quoties poena corporalis infligenda est, appellatio non admittatur: Regulariter appellatio ab omnibus Judicibus, tam majoribus,

ioribus, quàm minoribus: à minori ad majorem gradatim nullo misso medio? nec Judicem oportet injuriam sibi fieri existimare, eò quòd litigans ad provocationis auxilium convolaverit, *l. 20. C. h. tit.* nisi appellatio sit omnino frivola, arg. *l. fin. c. quor. appell. non recip.* Gail. *1. obs. 144. n. 5.* Herm. Vultej. *l. 2. Jurispr. Rom. c. ult. n. 57.* Sic etiam vice versâ appellans non debet ei convitari, à quo appellat, alioquin oportebit eum plecti infamiâ vel aliâ aliquâ poenâ ordinariâ, *l. 8. ff. h. t. l. 42. ff. d. injur.* Conrad. Rittersh. in *expos. Nov. par. 10. c. 7. n. 72.* Excipiuntur tamen hic aliqui & 1. quidem Princeps, à quo appellare fas non est, *l. 1. §. 1. ff. à quib. appell. non lic.* Ratio est, quia major in terra inveniri nequit. Ferrar. Mont. *l. 2. d. Appell. c. 3. in pr.* 2. Principis consilarii, *l. 34. c. d. tit.* 3. Senatus *l. 1. §. 2. ff. à quib. appell. non lic.* 4. Præfectus Prætorio, *l. unic. §. 1. ff. d. offic. Præf. Prætor. l. 17. ff. d. minor.* Cùm enim vice sacrâ judicat, absurdum visum est ab eo appellari posse; per supplicationem tamen sententia Præfecti Prætorii rescindi potest, *alleg. l. 17. de min.* Vera & elegans ratio redditur à Charisio in *l. unic. ff. d. offic. Præf. Prætor.* Quia Princeps crediderit eos, qui ob singularem industriam exploratâ eorum fide ac gravitate ad ejus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quàm ipse fuisset judicatuus. 5. Delegatus Judex, quem Princeps istâ lege dedit, ne ab eo appelletur, idque sapissimè à Marco factum scribit Ulpianus in *l. 1. §. ult. ff. à quib. appell. non lic.* Ardua hic ventilari solet Quæst. Utrùm nempe ab arbitris appellari possit? Nos distinguimus inter arbitros voluntarios, & eos, qui necessitate Juris recipiuntur: ab his appellatio facta subsistit, ab illis non æquè, *l. 9. ff. qui satisf. cog. l. 32. §. 14. d. recept. qu. arbitr. recept.* Ratio diversitatis est, quia quoad arbitros voluntarios,

tarios, partes sibi imputare debent, quod in eiusmodi iniquos & imperitos Judices compromiserunt, *l. 27. §. 2. ff. d. recept. q. arbitr. recep.* Quod sanè de necessariis dici non potest. Cùm enim nihil aliud sint, quàm Judices, dubium non est, quin ab illis appellari possit, Marant. *h. t. num. 261. & seqq.* Mynsing. *4. observ. 68.* Jul. Pac. *cent. 1. enantiophanon. quest. 69.* Sneidevv. *ad §. omnium. 1. Instit. d. action. num. 26. & seqq.* ubi aliam quoque diversitatis rationem assignat. Joachim. à Beust. *ad l. 1. ff. d. Jur. rejur. n. 51. & seqq.* Menoch. *d. arbitr. jud. quest. lib. 19. quest. 70. n. 1. & seq.* Gail. *1. observ. 150. n. 8. & seqq.*

XIX.

Quatuor appellationum in jure reperiuntur tempora, quæ DD. Fatalia vocant, sic dicta à Fato, quia sicuti mors extinguit hominem; ita lapsus horum temporum perimit Appellationem, ut neque appellans neque appellatus possint desertam illam appellationem denuo instituire, Philip. And. Frolog. *in spec. diss. d. Appell. th. 84. & ab eo cit.* Marant. *h. t. n. 232.* Conrad. Rittersh. *in expos. Nov. par. 10. c. 1. n. 5.* Christoph. Besold. *d. appell. c. 8. n. 2.* Quorum primum in interponenda appellatione consistit, ubi planè discrepat jus antiquum cum jure moderno, de jure antiquo in causa propria biduum admittebatur, *l. 1. §. 11. ff. Quand. appell. in aliena triduum, all. l. 1. §. 6.* Jure novo decendium est concessum, *auth. hodie. C. h. t. Nov. 23. c. 1.* ubi Imperator rationem subjicit, ut scilicet liceat homini inter tale temporis spacium plenissimè deliberare, appellandum ne ei sit, an potius quiescendum, quod tempus de jure veteri erat nimis angustum, & ideo ab Imperatore correctum. Hoc tempus incipit currere à tempore recitatae sententiæ, *Nov. 23. c. 1. l. 1. §. 5. ff. quand. appell. Auth. hodie. C. h. t.* ubi tamen vocabulum *revocatione* est corrigendum, & pro illo *reci-*

C

tatione

tatione ponendum, quod eleganter notavit Conrad. Rittersh. in *expos. Nov. par. 10. c. 1. n. 6. arg. dict. Novell. 23. cap. 1.* ex qua hæc *auth.* est desumpta; Antedicta tamen ita sunt intelligenda, si appellans sciat sententiam contra se, vel in ejus præjudicium esse latam, & potentiam agendi habeat, contra est si illud nesciat, quia tum hoc tempus non currit à tempore latæ sententiæ, sed scientiæ, *l. 1. §. ult. ff. quand. appell.* & sic hoc tempus utile est quoad initium, continuum quoad progressum. Emeric. à Rosb. in *process. judic. h. t. n. 24.* Gail. *1. obs. 139. n. 7.* Observandum hic est quòd decendium currat, quando gravamen est momentaneum, secus si causam continuam & successivam habeat, quia tunc tanquam à præsentis & continuo gravamine semper appellare licet. Exemplum in eo est, qui carceri mancipatus, is enim de præcepto de capiendo seu captura secuta semper appellare potest, quia semper gravatur, unde à præsentis gravamine, etiamsi ultra mensem incarceratus fuerit, rectè appellat, *l. 1. §. 3. ff. de usus. accres.* ubi dicitur quotidie usumfructum constitui propter continuam & successivam potentiam concedentis, Gail. *1. obs. 139. n. 13.* Alterum tempus fatale ad petendum Apostolos spectat, qui nihil aliud sunt, quàm literæ dimissoriae, quas judex, à quo appellatur, tradit appellanti deferendas ad judicem, ad quem est appellatum, *l. 1. in pr. ff. de libell. dimiss. l. 106. ff. d. V. S.* Petendi autem sunt Apostoli intra triginta dies à tempore latæ sententiæ numerandos, *l. 24. C. h. t.* si quidem appellans ejus notitiam habuerit, cum omni diligentia instanter & sæpius, quod si neglectum fuerit, appellatio habetur pro deserta, hinc æquum est, ut si per ipsum steterit, qui debebat dare Apostolos, quò minus dentur, æquum est ne hoc appellanti noceat, *l. un. §. ult. ff. d. libell. dimiss.* Emer. à Rosb. in *process. judic. lit. 74. n. 12. & seqq.* Novella ta-
men

meri camerae Imperialis constitutione Apostolorum
in mero & libero appellantis arbitrio posita est, adeo
ut siue illi petiti sint, siue non, appellatio nihilominus
valeat & recipiatur. Emer. à Kosb. *d. l. n. 25.* Tertium
fatale est introducendae, seu praesentandae appellatio-
nis, & de hoc variè pro varietate locorum & iudicum
statuitur, de iure Civili sex menses sunt determinati,
l. 2. C. d. Temp. appell. hodie itidem ex observatione came-
rali sex menses à tempore interpositae appellationis
currentes concessi sunt, intra quos menses citatio ex-
trahi debet, quo neglecto appellatio pro deserta habe-
tur. *Ord. camerab. p. 2. tit. 30. §.* wurde aber durch den Rich-
ter. Gail. *l. obs. 140. n. 1, 2, 3.* Quoad denique quartum &
ultimum Appellationis fatale attinet, prosequendae, sci-
licet ac finiendae appellationis, ei regulariter jus Civi-
le annum praefinivit, & ex iusta legitimaque causa bien-
nium, *Auth. ei qui. C. de temp. & reparat. l. ult. §. 4. eod.*
In Camera v. Imperiali propter multitudinem & gra-
vitatem causarum haec peragendae & finiendae appel-
lationis tempora non considerantur, sed causae semel
introducendae perpetuantur. Imò regulariter in consisto-
rio Principum non currunt fatalia prosequendae appel-
lationis, *Auth. sed & lis 6. de temp. appell.* ut docet Gail. *l.*
Ob. 141. n. 7. Quaeritur hinc an si quis propter impedinen-
tum inopiae haec fatalia observare non potuerit, utrum
Appellatio censeatur esse deserta. & Resp. Quòd non,
si notoria ac manifesta paupertas sit in iis, quae sump-
tus desiderant per *l. 8. §. 8. ff. mandat.* Verum cum hujus
materiae amplitudo volumina requirat, nostri autem
propositi non sit neque etiam temporis ratio admittat,
diffusè eandem tractare, pedem heic figo.

Quod super est, Tibi

Soli sapienti ac Immortali Deo sit laus honor & Gloria.



COROLLARIA.

Juramentum non confirmat actum prohibitum.

Mandans vulnerari non tenetur de occiso.

Non licet pacisci de hereditate viventis.

Homicidium committitur etiam in fœtu animato nondum nato.

Rei Vindicatio datur soli Domino.

Tutoris datio non est jurisdictionis.

Fabulosa est donatio Constantini Sylvestri Papæ concessa.

Is qui prohibente Domino animal in alieno fundo capit, captum facit suum.

Duo eandem rem in solidum possidere non possunt.

Etiam beneficium in invitum confertur.

Illi, qui ad sublevandam extremam famis necessitatem furatus est venia & impunitas concedenda.

Suspendji pœna, qua hodie ex constitutione Carolina fures afficiuntur, jure defendi potest.

Veritas convitij excusat injuriantem à pœna.

In Electores Imperij & consiliarios Imperatoris crimen læsæ majestatis committitur.

F I N I S.

ULB Halle 3
004 081 781



107

56.





12539.

1670, 4

4

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

de

APPELLATIONIBUS,

Quam

Sub auspicio SUMMI PRÆSIDIS:

Authoritate & Consensu

*Magnifici Nobilissimi & Amplissimi Fctorum
Ordinis, in perantiqua Rauracorum
Academia,*

Pro summis in utroque jure privilegiis &
honoribus Doctoralibus ritè legitimeque
consequendis:

Publicè ventilandam exhibet

JOHANNES THER SCHMITTEN,
Bremensis.

Ad diem 19. Decembris M. DC. LXX.

Horis locoque consuetis.



BASILEÆ,
Typis JACOBI BERTSCHL.

